

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

*Level Two Medieval Latin Examination*

**15 April 2020**

.....

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

**1. Raymond receives word of the Earl of Strigoil's death (Gerald of Wales)**

Interim autem, dum hec in Desmonie partibus agerentur, adest nuncius Reimundo a Dublinie partibus cum festinatione transmissus, litteras ei ex parte Basilie sponse sue deferens, sed earundem continenciam ignorans. Lecte sunt igitur a familiari quodam clerico Reimundi in secreto littere. Quarum tenor hic erat: 'Amantissimo domino et sponso suo Reimundo sua Basilia eam quam sibi salutem exoptat. Noverit, mi karissime, vestre dileccionis sinceritas, quod dens ille molaris et magnus, qui tantum mihi doluerat, iam cecidit. Quapropter si qua vobis vel mei vel etiam vestri de cetero cura fuerit, reditum maturare non differatis.'

Quibus auditis, statim Reimundus per dentis casum comitis mortem prudenter significatam perpendit. Qui ante ipsius discessum Dublinie gravi morbo decubuerat. Sed eo iam circa kalendas Iunii humanitus extincto, necem ipsius, pre Hibernensium timore, usque ad Reimundi familieque reditum ex industria celare modis omnibus satagebant. Reimundus itaque Limericum illico reversus, et interiorem mentis angustiam exteriori vultus hilaritate valde dissimulans, paucissimis tante familie viris casum aperiens tante novitatis et tam inopinati eventus, consilium cum discrecioribus communicavit.

## **2. Were Pharaoh's magicians really able to turn staffs into snakes? (Bernon of Reichenau)**

Sed querendum est de magis Pharaonis, qui in Aegypto signa facere uidebantur contra signa Moysi et Aaron, utrum uera an fantastica essent ludificatione uenefica. Ex utraque parte dictum est: uirga Aaron uersa est in colubrum et uirgae magorum uersae sunt in dracones. Cur ergo ex utraque parte et uirgae dicuntur et dracones, ut de figmentis illis nihil differat loquendi modus? Sed demonstrare difficile est, quomodo, etiam si ueri dracones facti sunt ex uirgis magorum, non fuerint tamen creatores draconum nec magi nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur. Insunt enim rebus corporeis per omnia elementa mundi quaedam occultae seminariae rationes, quibus prorumpunt in species debitas suis modis et finibus. Et sic non dicuntur angeli, qui ista faciunt, animalium creatores, sicut nec agricolae segetum uel arborum uel quorumcumque in terra gignentium creatores dicendi sunt. Deus uero solus unus creator est, qui causas ipsas et rationes seminarias rebus inseruit. Unde post tertium signum defecerunt magi in incantacionibus ita, ut dicerent ad Pharaonem: "Digitus Dei est hoc."

## **3. Pope Boniface VIII to Edward on his claims to Scotland (1299)**

Si uero in eodem regno Scocie uel aliqua eius parte ius aliquod habere te asseris, volumus quod tuos procuratores et nuncios ad hoc specialiter constitutos cum omnibus iuribus et munimentis tuis huiusmodi negocium contingentibus, infra sex menses a receptione presencium numerandos ad nostram presenciam mittere non ommittas, cum parati sumus tibi tanquam dilecto filio plene super premissis exhibere iusticie complementum et iura, siqua habes, inuolabiliter observare. Nos enim nichilominus ex nunc lites questiones et controversias quaslibet inter te dictumque regnum Scocie ac prelatos ac personas seculares eiusdem subortas et que possunt in posterum ex quibusvis causis preteritis exoriri, totumque negocium predicta contingens aut aliquod eorumdem ad cognicionem et determinacionem sedis eiusdem presencium tenore reducimus et eciam reservamus, decernentes irritum et inane si secus scienter uel ignoranter a quoquam in hac parte contigerit attemptari.

#### 4. Eugenius of Toledo on the futility of pursuing earthly wealth

O mortalis homo, mortis reminiscere casus:  
Nil pecude distas, si tantum prospera captas.  
Omnia quae cernis uanarum gaudia rerum  
Umbra uelut tenuis ueloci fine recedunt.  
Praecaue, non felix, ne te, dum nescis et audes, 5  
Quassans praecipiti dissoluat turbine finis.  
Porrige poscenti uictum uel contege nudum,  
Et te post obitum sic talia facta beabunt.  
Dilige pauperiem, mordaces effuge gazas,  
Nam reddunt cupidis post carnis dulcia flammis. 10  
Quamuis perspicuus auro gemmisque nitescas,  
Pauper et exiguus ibis et nudus ad umbras.  
Id solum tecum post mortis facta manebit  
Quod bene, quod iuste, quod recte feceris ipse.